

213.

249.

Disputatio III.

DE DOMINIO PROPRIETATIS, ET EIVS AC-
quirendi modis: tum in specie de occupatione, ac prædatione
bellica, & quidem de venatione, aucupio, pi-
scatione, & inuentione.

Q V A M

Auspice Christo.

P R A E S I D E,

C O N S V L T I S S I M O
V I R O, D. H E N R I C O B O-
C E R O, V. I. D. E T I N A L M A T V-
bingensium Academia Antecessore clarissimo, Prae-
ptore suo honorando:

O R D I N A R I I E X E R C I T I I C A V S A,
hora & loco consuetis, tueri cona-
bitur


M. C A S P A R V S H E V C H E L I N,
Lauingenius.



T V B I N G AE
Excudebat Georgius Gruppenbachius.

M. D. X C I X.

f



Disputatio III.

THESSIS I.

DOMINIVM PROPRIETATIS EST IVS,
quo corporalis res alicuius propria est, (a) idque in
iure nostro plerunque simpliciter dominium appellatur, (b) & quandoque etiam proprietas dicitur: (c)
Doctores directum appellant dominium; cui vtile do-
minium opponunt, quale dicunt habere vasallum in feudo, em-
phyteutam in emphyteusi, vsufructuarium in vsufructu. (d)

(a) Dominium proprietatis dicitur in l. si tibi. 17. ff. Quib. mod. vsu-
fruct. amitt. l. proprietatis 4. C. de probat. Et qui hoc dominium habet, do-
minus proprietatis appellatur in l. si cuius. 13. l. sed si quid. 16. §. proprieta-
tis, l. Dominus. 57. ff. d. vsufruct. l. si ita legatus. 16. §. 1. ff. de vsu & ha-
bit. Cum autem proprietas, & proprium coniugata sint, sequitur domini-
um proprietatis esse, quo res alicuius propria est: modò sit res corporalis, si-
quidem res incorporalis, vt est vsufructus dominio proprietatis, vt vsufru-
ctarius domino proprietatis, in legibus iam allegatis opponatur. (b) l. i.
§. 1. l. si quis. 17. §. 1. ff. de adquir. rer. dom. & alibi sàpe. Facit quoq; huc,
quod traditio, qua hoc dominium adquiritur, in res incorpores non cadit.
l. seruus. 43. §. 1. ff. de adquir. rer. dom. (c) l. naturaliter. 12. §. 1. ff. d.
t. l. si procurator. 13. ff. de adquir. rer. dom. (d) vide Costal. in libello pa-
rerg. iur. scient. pag. 34. & ad l. 1. ff. si ager. vectigal. Duaren. lib. 1. Di-
sputat. cap. 17. & Coras. lib. 6. Miscel. cap. 20.

II.

Estque duplex hoc dominium: plenum, & nudum. Plenum
proprietatis dominium est, quod cum vsufructu est coniunctum; vt
si vsufructus rei non sit alterius, sed dominus proprietatis ipse ea-
dem vtatur fruatur. Nudum proprietatis dominium est, quod sepa-
ratum est ab vsufructu; vt si non dominus ipse res sua propria, sed ali-
us aliquis eâ vtatur fruatur.

l. 2. ff. Quib. mod. vsufruct. amitt. Duar. lib. 1. Disputat. cap. 17.

III.

In hoc autem dominio spectamus, tum eius adquirendi, tum amittendi modos.

l. Ferè. 153. vers. cum quibus modis, vbi Cuiac. in Commentar. ad Paulum. ff. de Reg. Iur.

IV.

Modi adquirendi dominium vel iuris gentium sunt, vel sunt iuris ciuilis.

§. singulorum, vers. Quarundam enim. Instit. de rer. diuis. & adquir. rer. dom. & l. 1. ff. de adquir. rer. dom.

V.

Iurisgentium modi sunt tum occupatio, & prædatio bellica; tum accessio & traditio.

VI.

Occupatio est apprehensio rei, quæ iuregentium ipsa proprietate adhuc nullius est, sed apprehensione eius propria fit, qui ipsam hoc animo ut suam faciat, occupat.

§. Litorum, vers. proprietas autem, & §. feræ igitur bestiæ. vers. Quod enim. Instit. de adquir. rer. dom. l. 3. in princ. & l. Quod in litore. 14. ff. de adquir. rer. dom.

VII.

Est autem occupatio vel rei soli, vel mobilis rei. Rei soli, veluti insulæ in mari natæ, (a) item litoris ædificatione apprehensi. (b)

a) §. Insula, Instit. de rer. diuis. & l. Adeo. 7. §. Insula. ff. de adquir. rer. dom. (b) l. intatum. 6. in princ. ff. de rer. diuis. l. Quod in litore. 14. ff. de adquir. rer. dom.

VIII.

Occupatio rei mobilis est captura, vel inuentio. Captura est occupatio animantium ferarum, (a) eiusque species sunt venatio, aucupium, & piscatio. (b)

a) l. 1. §. vlt. ibi, capiuntur, ff. de adquir. rer. domin. & §. Feræ igitur bestiæ, ibi, capta. Item, ibi, capiat. Instit. de rer. diuis. (b) l. item si fundi. 9. §. aucupiorum. ff. de usufruct. & §. Planè, qui alienum, ibi, venandi, aut aucupandi, & d. §. Feræ, ibi, & pisces, Instit. de rer. diuis. & l. iniuriarum. 13. §. vlt. ibi, in mari piscari, ff. de iniur. l. 1. in fin. ibi, pisces, ff. de adquir. rer. dom.

Venatio

IX.

Venatio est captura bestiarum terrestrium: ut sunt cerui, hinnuli, apri, lupi, lepores, vulpes, &c.

Cic. de natur. Deor. vescimur, inquit, bestijs & terrenis, & aquatilibus, & volatilibus.

X.

Aucupium est captura bestiarum volatilium; veluti volucrum, (a) ut pauonum, columbarum, (b) apium (c) item gallinarum, anserum, anatumque sylvestrium siue ferarum. (d)

- (a) §. Feræ igitur, Inst. de rer. diuis. l. 1. §. vltim. ff. de adquir. rer. dom.
- (b) Pauonum, Inst. de rer. diuis. & l. naturalem. §. §. Pauonum. ff. de adquirend. rer. dom. (c) §. Apium, Inst. de rer. diuis. & d. l. naturalem. §. §. apium. ff. de adquir. rer. dom. (d) §. Gallinarum, Inst. de rer. diuis. & d. l. §. §. Gallinarum. ff. de adquir. rer. dom.

XI

Piscatio est captura bestiarum aquatilium, veluti piscium, & cancrorum, &c.

d. §. Feræ igitur bestiæ, ibi. Et pisces, Inst. de rer. diuis. & d. l. 1. §. vlt. ff. de adquir. rer. dom. & d. l. iniuriarum, 13. §. vlt. ff. de iniur.

XII.

Non solùm tamen in fundo iure gentium communi, aut proprio venari, & aucupari licet, sed etiam in prædio alieno. (a) Neq; tantum in aqua omnium hominum vsu communi, veluti mari, sed etiam in alieno stagno, aut lacu piscari licet, non autem in piscina aliena. (b).

- (a) dict. §. Fere, vers. Nec interest, Inst. de rer. diuis. & d. l. 3. §. 1. ff. de adquir. rer. dom. (b) l. 3. §. Item feras bestias. ff. de adquir. poss. & d. l. iniuriarum. 13. §. vlt. in fin. ff. de iniur. Didac. Couar. ad c. peccatum, de reg. iur. in 6. part. 2. Relection. §. 8. num. vlt. pag. 240. Cuiac. lib. 4. obseruat. cap. 2.

XIII.

Qui verò fundum, stagnum, aut lacum alienum venandi, aucupandi, aut piscandi gratiâ ingreditur, potest à domino, si is præuidedit, prohiberi, ne ingrediatur. (a) Qui si contempta prohibitione pro-

f 3

cedat,

cedat iniuriarum conueniri actione potest. (b) Id tamen quod cepit venator ille, suum nihilominus facit. (c)

(a) l. 3. §. 1. ff. de adquir. rer. dom. l. Diuus Pius 16. ff. de seruitut. rusticor. predior. §. Planè qui alienum, instit. de rer. diuis. (b) l. Iniuriarum. 13. §. vlt. ff. de iniur. l. 2. §. Si quis in mari. ff. Ne quid in loco public. gl. ad d. l. Diuus Pius 16. ff. de seruit. preditor. rustic. (c) l. In laqueum 55. ff. de adquir. rer. dom. gloss. ad d. l. Diuus 16. ff. de seruit. rustic. predior. Didac. Couar. ad c. peccatum. de reg. iur. in 6. secunda part. Relectionis. §. 8. num. 5. At dissentit gl. add. §. Planè qui alienum, in verb. Ingrediatur, instit. de rer. diuis. & Cuiac. lib. 4. obseruat. cap. 2.

XIV.

Cæterūm quæritur, si quisquam ita vulnerarit in venatu fera bestiam, ut capi haud difficulter possit, statim ipsius venatoris sit, an verò nihilominus ab alio aliquo capi possit. & ipsius fieri? Proculo Iureconsulto placuit, cuius sententia Iustin. Imper. subscripsit, non aliter eam feram esse vulnerantis, quam si eam omnino ceperit, & in suam potestatem redegerit.

l. Naturalem 5. in prin. ff. de adquir. rer. dom. §. Illud quæsum. Instit. de rer. diuis. Facit buc, quod feræ bestiæ non nisi occupatione, id est, apprehensione alicuius fiunt, l. 3. in prin. ff. de adquir. rer. dom. l. 1. §. 1. ibi, ex naturali possessione. ff. de adquir. rer. dom. At Trebatius Iurisconsultus dissentit in l. 5. §. 1. ff. d. t. cuius opinio aliquibus in locuſ uſu recepta est.

XV.

Est & illa non inelegans quæstio, si fera bestia in laqueum, quem venandi causa aliquis posuerat, inciderit, num statim eius efficiatur, an verò aliis quispiam sibi eximendi eam ius habeat? Proculus sensit, & Iustin. Imper. probauit, priusquam is, qui posuit laqueum, ceperit, & suam in potestatem redegerit, ipsam feram, ab alio eximi eam licet posse.

d. l. in laqueum 55. ff. de adquir. rer. dom. Donell. lib. 4. commentar. cap. 8.

XVI.

In feris autem animantibns, quæ cicuratæ, & mansuetæ, ex consuetudine abire, & redire solent, talis regula comprobata est, vt eosq;

vt eosque tuæ esse intelligantur, donec animum reuertendi habeant.

d. l. Naturalem s. in prin. vbi gloss. & S. Pauonum, ff. d. t. & S. In ijs autem animalibus, & S. quicquid autem, vers. naturalem autem, Instit. de rer. diuis.

XVII.

Etsi verò iuregentium per occupationem eiusmodi feras bestias quilibet sine discrimine adipisci queat, illud tamen iusgentium hodie pañim ferè à Principibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus subactum est, adeo vt neque in proprijs agris venari aut aucupari cuius integrum sit.

XVIII.

Sed an iure, vel iniuria ipsi Principes, Comites, Barones, Nobiles, alijque ciuitatum quarundam primates, sibi tantum hoc ius vendicent, multiuaga inter nostros concertatio est, nos & occupationis, (a) & præscriptionis. (b) iure ipsos defendi asserimus. (c)

(a) Hoc enim iure ipsum solum, quod primitus commune vbiique fuit, quorundam postea factum est, l. Ex hoc iure s. ff. de iustit. & iur. l. In tantum 6. in prin. ff. de rer. diuis. l. Quod in litore 13. ff. de adquir. rer. dom. l. 3. in prin. ff. Ne quid in loco publ. Cur ergo non æquè & ius venandi. (b) Per l. Si quisquam 7. ff. de diuers. & tempor. præscript. & l. præscriptio 45. in prin. ff. de usurpat. & usucap. Ex quibus locis cognoscimus fundi ius præscriptione longæ possessionis adquiri, at non in perpetuum, sed quandiu quis eo solus vtitur, vnde certò statuendum, immemorialis temporis præscriptione pleno iure id adquiri, cùm hac præscriptione ea etiā, quæ meret facultatis sunt, nancisci possimus, Baldus tractat. de præscript. part. 4. quintæ principalis, quest. 1. pag. 433. & seqq. Anton. Gabr. Roman. lib. 5. commun. conclus. Tit. de præscript. conclus. 10. num. 7. Hieron. Schurff. consil. 1. cent. 3. num. 20. & seq. & Zoannet. Tractat. de empt. & vendit. sub pacto retro- uenditionis, num. 140. & seqq. vbi latè de iuris venandi præscriptione disserit. Et presumendum est, quod patientia aliorum, quamvis prohibitione interueniente, Principum, Comitum, Baronum, Parentes & Antecessores huic præscriperint iuri, cùm vis & metus alijs incussus affingi ipsis haud debeat, per l. Igitur 12. S. Et generaliter, ff. de liberal. caus. & l. Merito 51. vbi Dd. ff. pro socio. Zoannet. dict. Tractat. num. 190. Vnde etiam bona fide, quam immemoriale tempus inducit, gloss. in c. Abate.

bate, vers. Alciatensem Monachum, vbi Anton. de Butr. extr. de decim. Balbus tractat. de præscript. part. 2. tertia princip. quæst. 6. num. 11. & seqq. tale ius quasi possidere præsumuntur Zoannet. dict. Tractat. num. 164. Neque ipsis necessaria est tituli allegatio, Balbus dict. loc. Molin. in consuetud. Paris. §. 7. num. 12. Mins. cent. 1. obser. 30. Quinetiam titulo pro herede Principes, Comites, Barones, munitos dicere possumus. (c) Occupatione, & præscriptione, vel qua alia ratione priuati iuris venandi & aucupandi ius fieri posse testatur. l. Item si fundi 9. §. Aucupiorum, & l. Vsufructuarium 62. in prin. ff. de vsufruct. l. venationem 26. ff. de usur. Tuetur etiam quodammodo Principes, Comites, Barones, &c. constitutio Frider. Imp. in Tit. 27. §. Si quis rusticus, vers. Nemo retia, lib. 2. feudor.

XIX.

Ita tamen Principes, cæterosque hoc iure venandi, & aucupandi decet uti, vt non Tyranni, non Actæones efferi, sed humanæ sortis memores, Christianæ pietatis obseruatores videantur. Quod nempe fecerint, si dominis syluarum, & agrorum in ipsa venandi seruitute haud immodicè nocuerint, si non grauiori seruitute fundos illorum, quam eos pati naturæ & æquitatis ratio suadeat, presserint.

arg. l. Cuius edificium 24. ff. de seruit. prædior. vrbani. & l. 2. §. vbi, ibi, Si tamen non ultra modum noceat. ff. de aqua plu. arcend. Zoannet. Tract. de empt. & vendit. sub pacto. retrouedit. num. vlt.

XX.

Innoxios igitur clementissimi, & benignissimi Principes habent saltus, & curent sedulò, ne ferè in priuatorū agros gregatim excurrant, & sata magno pauperum dolore, & damno depascantur: alioqui damnum à feris datum, vt resarciant, æquum fuerit; siquidem eius damni causam quodammodo præbuuisse censeantur.

per §. Ceterum, Institut. de leg. Aquil. l. Item queritur 13. in prin. ff. locati conduct. l. 1. §. Et generaliter ff. Si quadr. pauper. feci. ff. dic.

XXI.

Permittere quoque Principes, cæterique domini subditis suis debent, vt feras bestias ex proprijs agris, stantibus, & adhuc pendebus,

233.

DISPUTATIO III.

tibus fructibus abigant, & latratores molossoſ habeant, quibus eas
licitè fugent.

Andr. Geil. lib. 2. obseruat. practic. obſer. 68. num. 10.

XXII.

Cùm autem hodie Principes, Comites, Barones, Nobiles, etiam
in alienis prædijs venandi & aucupandi ius habeant, inuitis quoque
dominis, quæri solet, qualis isthæc sit seruitus, personalis, vel realis?
plerique eam, quando caſtro, aut villæ alicui debetur, & ad heredes
transiſt, realibus seruitutib⁹ aggregandam censem. (a) Quidam
verò iurisdictionalem seruitutem dicunt. (b)

a) Post alios And. Geil. lib. 2. practic. obſer. obs. 66. (b) Sebaſt. Medic.
tractat. de venat. part. 2. quæſt. 2. num. 5. & Francisc. Zoannet. in tractat.
de empt. & vendit. ſub pacto retrouenditionis, num. 205. in fine, & num.
seq.

XXIII.

Veruntamen ius illud venandi & aucupandi perpetuum, quod
habent Principes, Comites, Barones, & Nobiles quidam, etiam
in alienis prædijs, seruitutem esse vel personalem vel realem pla-
nè negamus: (a) Negamus item iurisdictionalem esse seruitu-
tem. (b)

a) Personalis seruitus non eſt, quia perpetuum eſt, & ad heredes transi-
torium, cùm tamen personalis seruitus cum persona, cui debetur, extingua-
tur, l. 3. §. vlt. ff. quib. mod. vſuſr. amitt. l. corruptionem. 16. C. de vſuſr.
§. finitur autem vſuſr. Instit. de vſuſr. Non eſt etiam seruitus realis. Hæc
enim seruitus ipſi prædio debetur, §. ideo aut. hæ seruit. Instit. de vſuſr. l. 1.
S. 1. ff. comm. prædior. vnde vt pomum decerpere, vel ſpaciari aut coenare in
alieno prædio liceat alicui, seruitus realis imponi non poteſt. l. vt pomum 8.
in princ. ff. de seruitut. ſed ius venandi ipſi prædio, puta caſtro aut villæ non
debetur, tūm quia non ad ipſiusmet prædijs. ſed hominis vtilitatem pertinet:
cùm tamen realis seruitus ad prædijs commodum ſpectet, vt inde melius &
vtilius efficiatur vel conſeruetur, l. ergo 5. in fine, ibi, quām quatenus ad
ipſum fundum opus fit, & l. seq. vbi gl. in verbo vſuſructus, ff. de seruit.
præd. rustic. l. 1. vbi gl. & Dd. ff. Commun. præd. l. quotiens nec hominum
15. in print. ff. de seruit. Tum quia realis seruitus constituitur, quatenus tan-
tum ad ipſum prædijs opus fit: nec poteſt eius dominus alij inde quicquam
concedere. l. 5. in fin. & l. ſequenti, & ibi gl. in verbo vſuſructus, & Bar-

tol. ibid. ff. de seruit. prædior. rustic. Azo in summa, C. de seruit. & aqua.
 Ac Germani Principes, & quidam Nobiles absq; vlla disputatione necessarij
 vsus, vniuersam habent venationem, quæ non solùm ipss; eorum q; familijs
 est necessaria, sed & ad naueam vsg; & fastidium quandoq; superflua. Ad-
 hac realis seruitus constitui non potest, nisi illi prædio, quod confine & victi-
 num sit, & proximè assitum prædio seruienti, non remotum ab eo l. Mela-
 ait. 1. 4. §. vlt. ff. de aliment. legat. d. l. ergo. 5. §. 1. ff. de seruit. præd. ru-
 stic. sed longissimè plerung; distant Arces, castra, & domus Principum, Co-
 mitum, Baronum, Nobilium, interpositis sepenumero amplissimis, ijsq;
 multis priuatorum prædijs, ab hisce syluis & nemoribus, in quibus ius venan-
 di habent. Ius ergo venandi, aucupandi, in prædijs alienis, realis seruitus non
 est. Id quod sentit etiam contra Zafium Zoannet. in tractat. de empt. &
 vendit. sub parte retrouendit. num. 194. & seqq. (d) Zoannet quidem
 in d. tr. num. 205. in fin. & num. seq. id affirmat, vt & Sebast. Medic. tr.
 de venat. part. 2. quest. 2. num. 5. sed malè: èo quod venationis ius totogee
 nere à iurisdictione differt. Iurisdictione enim est potestas iurisdicendi, i. e. po-
 testas reddendi siue decernendi ius lege constitutum: decernendi in quam per-
 sonis & negocij, ad quæ pertinet. l. 3. ff. de offic. eius cui mandat. est iuris-
 dict. l. meminisse. 10. ibi debet ius dicere. ff. de offic. proconsul. l. Senatuscon-
 sulto. 16. ibi ius dicatur, item ibi, ei ius dicendum est. ff. de offic. præsid. l. qui
 iurisdictioni. 10. ibi ius dicere debet. l. est receptum. 14. ibi ius dici. l. si con-
 cunerit. 18. ibi, ius dicet, & l. vlt. ibi, ius dicenti, ff. de iurisdict. l. obseruan-
 dum. 19. in prin. ibi, ius reddenti. 5. 1. ibi, ius reddi debet, ff. de offic. præsid.
 l. 2. §. ergo ex his, ibi, iurare debebant, ff. de orig. iuris. l. penult. ibi, ius red-
 dere dicitur, item ibi, ius redditur, item ibi, cum iniquè decernit. ff. de ius-
 fit. & iur.

XXIV.

Nunquid igitur regalibus associandum hoc venationis ius? Ne-
 quaquam, (a) sed vt alia sunt varia iura Principibus, vel alijs etiam
 priuatis competentia, vt iurisdiction, antichresis, emphyteusis, feu-
 dum, &c. sic & hoc ius perse consistit. Potest tamen quandoq; vsus-
 fructus, atque ita seruitus personalis esse: vt si Princeps ius venandi
 & aucupandi, in sua quadam sylua propria nobili cuidam in vsum-
 fructum concedat. (b)

a) *Iura enim regalia sunt, quæ Romano Imperatori, quem leges Regem
 appellant, vnde regalia dicuntur, in signum immensi laboris, quem pro im-
 perio*

perio sustinet, ab imperio concessa sunt, Feudista ad Tit. 56. Quae sint regalia. lib. 2. Feudor. & licet hodie etiam inferiores Principes regalia habeant, ab ipso tamen Imperatore primitus vel concessione, vel præscriptione ad eos peruererunt. c. super quibusdam. 26. §. præterea, extra de verb. significat. (b) vt apparet ex l. item si fundi, §. aucupiorum. l. vsufructuari-
um. 62. in princ. ff. de vsufruct. l. venationem. 26. ff. de vsur.

XXV.

Quodd multi (a) venationis, & aucupiorum ius à realibus & personalibus seruitutibus quidem separant, inter pacta tamen personalia connumerant, ineptum planè est. (b)

a) Quorum meminit Zaf. ad §. aequè, Instit. de actionib. & And. Geil.
dict. lib. 2. obser. practic. obser. 66. num. 2. (b) Pacta enim cum nihil
aliud sint, quam conuentiones. l. 1. §. conuentionis. ff. de pact. l. 3. in princ.
ff. de pollicitat. proindeq; facta, & hominum actiones, à quibus iura merito
separantur, haud rectè ius venandi & aucupandi pactis connumeratur.

XXVI.

Eleganter quæritur, an dominus syluæ venatoriæ, quæ alteri seruitutem venandi debet, grandes & annosas arbores cumulatim excidere, ac ad quæstum suum transferre possit? Nos cum Andr. Geil. in negantem partem inclinamus, (a) cum nemo ex propria autoritate seruitutem deteriorem facere possit. (b)

a) Geil. obs. pract. 2. obs. 67. num. 5. (b) arg. l. seruitutes. 20. §. si ante
ff. de seruit. vrb. præd. & l. sed si quid. 15. §. 6. ff. de vsufr. l. certo gene-
rii 3. §. si totus. ff. de seruit. præd. rustic. cum multis alijs iuris textib. in d.
obser. 65. n. 6.

XXVII.

Est & hæc quæstio non infrequens, vtrum dominus syluæ venatoriæ, syluam radicibus euertere: & ex ea agrum noualem facere possit, necne? Negatiua nobis verior esse videtur.

l. inde etiam. 3. §. reficere. 15. ff. de itin. actuq; priuatol. præses. 6. & l.
si manifestè. 7. C. deseruit. & aqua. Geil. d. obs. 67. n. 10.

XXVIII.

Quæritur & illud, si venator in Principis sui territorio feram persecuti incipiat, quandiu ea persecutio etiam per aliorum magistratum districtus sit concessa? moribus receptum est, vt perse-
cutioni

cutioni 24. horæ sint concessæ: ita tamen ut venator in ipso persecutio-
nis loco signum, puta pileum &c. in rei testimonium deponat.

XXIX.

Disceptatio non leuis est, ad quem fructus syluæ venatoriæ per-
tineant, vtrum ad dominum syluæ, an verò ad eum, qui seruitutem
in ea habet, pro alimentis ferarum? Nos in dubio ius legendæ glan-
dis domino largimur, cùm huiusmodi fructus sint pars syluæ: in alijs
verò syluestribus fructibus (qui glandis appellatione etiam genera-
liter veniunt) attendenda est conuentio: quæ si facta est, ei standum,
si non, videndum quid longissimo vsu obseruatum sit. Vetustas enim
vicem legis obtinet, si agri lex non inueniatur.

*l. 1. §. fin. ff. de aq. plu. arced. l. 1. C. de seruit. & aqua. l. venditor.
§. 1. ff. commun. præd. Geil. d. l. 2. obs. pract. obs. 68. n. 1. & 2.*

XXX.

De poena qua afficiendi sunt ij, qui contra edicta principum
venantur, magnus est inter interpp. conflictus. Nonnulli enim sta-
tuunt eos, tanquam pacis violatores puniendos, (a) alij, morte aut
membri abscissionē non esse multandos, (b) cùm cerui non de-
beant pluris aestimari quam homines.

*a) Guid. Papa decis. 218. (b) Domin. Sotus lib. 4. de iustit. & iur.
quest. 6. art. 4. Alfonsus à Castr. eos principes tyrannos appellat, qui morte
multari iubent quenquam ex hac causa. Fachin. lib. 1. controu. iur. con-
trou. 1. sub lit. C. & D. & Andr. Geil. d. l. 2. pract. obs. obser. 68.*

XXXI.

Arbitramur autem hīc dispiciendum esse, vtrum prohibitionē
non sit adiecta certa poena, an verò addita sit ei certa poena. Priori ca-
su actio iniuriarum stringitur in venatores, (a) quæ licet extra or-
dinem criminaliter instituatur; (b) attamen poena ad mortem ex-
tendi non debet, (c) sed pro conditione personæ, vel pecuniaria esse
debet, vel relegatio, vel si humiliis sit persona, fustigatio. (d)

*a) l. iniuriar. 13. §. vlt. ff. de iniur. (b) Quod fieri potest. l. vlt.
ff. de iniur. l. vlt. ff. de priuat. delict. (c) Qui enim extra ordinem co-
gnoscit iudex, rationem & aequitatem excedere non debet. l. bodie 13. ff.
de pénis. Nec quid durius, quam causa depositum, decernere. l. perspicien-
dum, ii. in fin. ff. d. t. Iniquum autem fuerit pro capta belua, hominem ad.*

Dei

Dei imaginem creatum, morte plecti. Atq; hæc sententia probatur quoq; iure Saxonico, Landrecht lib.2.art 6. eaq; placuit etiam Collegio facultatis iuridicæ vniuersitatis Vvitebergen sis, & Consistorio supremi judicij Saxonici, part.4. quæst.8. (d) per l.vlt. ff. de iniur.

XXXII.

Posteriori casu, statuta poena in venatorem conuertitur, modò ea pro venatione prima capitalis non sit. (a) sed vel carceris vel pecuniaria; (b) venationem autem iterantibus, non solum relegationis, sed etiam corporalis poena, si qualitas facti & personarum ita exigat, decerni potest, (c) si sèpius, poena corporalis etiam irroganda. (d)

(a) Tum quia Iure ciuili locus tantum hic est iniuriarum actioni, d.l. iniuriar. 13. §. vlt. ff. de iniur. tum quia feræ bestiæ, antequam capiantur, in nullius sunt patrimonio, sed in naturali laxitate & libertate constitutæ, vt earum furtum fieri non dicatur, cum furtum non fiat, nisi sit, cui fiat. l. falsus 43. quod si Dominus, ff. de furt. tum etiam, quia iniquum & crudele esset, pro capta bestia vitam amittere, vt antea diximus. Andr. Gail. lib.2. obseru. pract. obser. 86. num.10. (b) Domin. Sotus, d.loco (c) l. nemo 3. C.de Episcopali audient. l. capitalium, 28. §. solent, & §. aggressore 6. ff. de paenit. (d) l. aut facta 16. §. vlt. ff. de paenit, & l. quicquid, vni- ca C.de superexact. lib.10. Non ratione ipsius feræ, sed ob contemptum editi Principis, vnde locum habet, quod dicitur: Qui Principi non obedierit, morte moriatur. Vide Fachin. d.lib.1. contr.1.

XXXIII.

De captura hactenus succedit modo inuentio. Inuentio est occupatio (a) rerum mobilium, tum anima carentium, tum seruorum, quæ res, qui que serui proprietate nullius sunt.

(a) Non aliter res adquiruntur, quam si occupatae, id est, apprehensa fuerint. l. 1. §. 1. ff. de adquir. vel amitt. poss. & §. Quaratione verius, ibi, occupauerit. Inst. de rer. diuis.

XXXIV.

Est autem inuentio vel rerum in mari aut litore maris natum. (a) vel rerum pro derelicto habitarum, (b) vel thesau- ri. (c)

- (a) §. Itelapilli, Instit. d.t.l. 3. ff. de diuis. rer. l. i. §. i. ff. de adquir. vel amitt. poss. (b) §. Quaratione, Instit. de rer. diuis. l. 2. §. i. ff. pro derelict. l. Falsus 43. §. Quod si dominus ff. defurtis, vide Cuiac. lib. 21. obseruat. cap. 8. (c) §. Thesauros, Instit. d.t.

XXXV.

Quod si quis res naufragio perditas & à fluctibus in litus eius inueniat, tamenque retineat, rapinam committit, & quadruplo tenetur. (a) Quia etiam ex noua Friderici constitutione publicatione omnium bonorum multatur. (b)

(a) L. Pomponius 44. vers. Idem ait, ff. de adquir. rer. dom. (b) Auth. Nauigia. C. defurtis.

XXXVI.

In tempestate maris è nave, eius leuandæ causa, eiectum quod est, si quis inueniat, & sciens lucrandi animo retineat, furtum committit.

§. Alias sanè ratione, Instit. de rer. diuis. l. Quaratione, 9. §. vlt. l. Quæcunq. 58. ff. de adquir. rer. dom. l. qui leuandæ 8. ff. de leg. Rhod. de iactu, l. interdum 21. §. i. ff. de adquir. vel amitt. poss. l. Si quis merces 7. ff. pro dero- licto.

XXXVII.

Eadem quoque est ratio earum rerum, quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt.

§. vlt. in fin. Instit. de rer. diuis. d. l. Falsus 43. §. Qui alienum. ff. de furtis.

XXXIX.

Vt quis autem furti suspicionem, eiusque pœnam evitet, publicè proponat libellum, quò significet, se rem inuenisse, & redditurum ei, qui suam esse ostenderit.

d. l. Falsus 43. §. Proinde videamus, vbi Bart. & alijs, ff. de furtis, & Dd. ad dict. §. vlt. Instit. de rer. diuis.

XXXIX.

Sed rerum inuentor εὐπεπτος, id est, inuentionis præmium iure pe- tit? Non probè aliquid peti Vlpianus scribit.

d. l. Falsus 43. §. Quid ergo. ff. de furtis.

The-

XL. Thesauri inuentionem quod attinet, primò sciendum, quod Thesaurus iuris conditoribus sit vetus quædam pecunia depositio, cuius non extat memoria. (a) Vnde propriè thesaurus non est ea pecunia, quam quis vel lucri, vel metus, vel custodiz causa condidit sub terra, & à quo, & quando sit condita non ignoratur, (b) Abusiuè tamen thesaurus etiam dicitur. (c)

(a) l. Nunquam 31. §. 1. ff. de adquir. rer. dom. l. vn. C. de Thesaur. lib. 10. (b) d.l. Nunquam, 31. §. 1. ff. de adquir. rer. dom. l. à tutore. 67. ff. de rei vindic. & l. peregre, 44. in prin. ff. de adquir. vel amitt. poss. (c) l. Thesaurus 15. ff. ad exhibend.

XLI.

Locus autem in quo Thesaurum quis inuenit, vel proprius est, vel alienus; & quidem alienus aut priuatus est, aut cæsarialis, aut fiscalis, aut publicus imperij vel vniuersitatis, aut sacer vel religiosus.

XLII.

Thesaurus in proprio loco inuentus, ex aße inuentoris est, siue fortuitò, siue data opera inuentus sit, non tamen adhibitis sceleratis ac puniendis sacrificijs, aut alia qualibet arte legibus odiosa.

§. Thesauros, instit. de rer. diuis. & d.l. vn. C. de Thesaur.

XLIII.

Qui verò inuentus est in loco alieno, siue is priuati alicuius sit, siue Cæsarialis, non tamen vt Cæsarialis, sed vt Maximiliani aut Rudolfi, modò fortè fortuna inuentus sit, ex semisse duntaxat repertoris est, ex altero semisse priuati illius, aut Cæsarialis, si data opera sit repertus, totus est priuati illius, aut Cæsarialis.

d. §. Thesauros, vers. At si quis, & vers. Et conuenienter, instit. de rer. diuis. & d.l. vn. C. de Thesauris. Obstare videtur l. 3. §. si in locis, ff. de iure fisci.

XLIV.

Inuentus autem thesaurus in loco fiscalis, vel publico imperij, aut vniuersitatis loco, ex semisse inuentoris est, si fortuito casu repertus.

tus sit, ex altero semisse fisci, vel vniuersitatis, hoc est, ciuitatis. (a) Et tenetur inuentor vltro partem fisco deferre, alioqui totū cum altero tanto soluere cogitur. (b) Si data opera in hisce locis quis thesaurum inuenerit, ex asse erit fisci, vel ciuitatis. (c)

(a) d. §. Thesauros, vers. cui conueniens, Instit. de rer. diuis. vbi Cuiac. in notis, & c. Tit. 56. in fin. Tit. Quae sint regal. lib. 2. feudor. (b) d. l. 3. §. vlt. ff. de iure fisci. (c) dict. Tit. 56. lib. 2. feud. & d. l. vn. C. de thesaur. lib. 10.

XL V.

Similiter thesaurus in loco sacro, aut religioso fortuitò inuentus, ex semisse est inuentoris, alter verò semissis est fisci, ex noua legislatione Friderici Imp. Ex eadem quoque constitutione totus thesaurus, ibidem datâ operâ repertus, fisco vindicatur.

Tit. 56. in fin. lib. 2. feudor.

XL VI.

Idem quoque longè ante Friderici legem constituerunt Diui fratres, M. Antoninus, & Verus; (a) licet ante hos Diuus Hadrianus totum thesaurum fortuitò repertum inuentori concederit. (b)

(a) l. 3. §. Si in locis. ff. de iure fisci, (b) §. Thesauros, vers. Idemq; statuit. Instit. de rer. diuis. quæduo loca antinomiam arguunt, in qua tollenda varij varie laborarunt. Accursius & vulgo Interpp. censem rescriptum Diui Hadriani naturali æquitate niti: at rescriptum Diuorum fratum iure ciuili. Connan. verò lib. 3. comment. cap. 4. num. 2. item, Fran. Hotoman. Thomas Linus & Vesemb. alia conciliandi ratione vtuntur, & distinguunt inter locum sacrum & religiosum, qui priuatus est, & eum, qui est publicus. De hoc intelligunt Diuorum fratum; De illo Diui Hadriani rescriptum. Quidam in dict. §. Thesauros pro At legendum censem Ac, & ita aduersatiuam in similitudinis dictionem mutant. Duarenus autem ad Tit. de adquir. rer. dom. cap. 4. & Donell. lib. 4. comment. cap. 14. existimant, utrumq; locum narrationem historicam, contrariam tamen, de qua suam non protulerit sententiam Iustinianus. Deniq; Iacob. Cuiac. lib. 9. obser. cap. 37. & in notis ad dict. §. Thesauros, Instit. de rer. diuis. scribit, in huius questionis decisione aliud sensisse Diuum Hadrianum, aliud Diuos fratres, Iustinianū autem comprobasse Diui Hadrian. sententiam. Nos harum conciliationum nullam

nullam probamus, existimantes Principem Iustinianum subscriptisse Diuorum fratrum rescripto.

XLVII.

Interpretes verò ut Porci Fab. Ang. Thom. Lin. & alij tradunt, (a) hodie iure Pontificio Thesauri in loco sacro vel religioso inuenti partem dimidiā non fisco, sed Ecclesiæ adplicandam esse. (b)

(a) *Ad S. Thesauros, Instit. de rer. diuis.* (b) *atque hæc sententia in inuentore Clericoprobari videtur textu in c. Excommunicamus 13. §. Damnati, ext. de hæreticis.*

XLVIII.

Thesauro autem in feudo emphyteutico, aut feudali reperto, num emphyteuta, aut vasallus, pro domino feudi haberi debeat, vel proprietarius, ut huic vel illi pars Thesauri dimidia cedat, acriis inter Dd. concertatio est: Nos proprietario, non emphyteutæ aut vasallo ius capiendi partem illius thesauri tribuimus.

Per text. in l. fructus 7. S. Si feudum viro, vers. Non magis. ff. solut. matrimon. confert hoc, quod emphyteuta, feudi emphyteutici, aut vasallus feudal is prædictus dominus non est, l. 1. S. vlt. ff. Si ager vectigal. d. tit. 23. S. vlt. lib. 2. feud.

XLIX.

Succedit prædatio bellica. Prædatio bellica est adquisitio dominij, tum rerum, tum personarum, quas in bello iusto milites ex hostibus, & his deuictis capiunt.

§. Item ea, quæ ex hostibus, *Instit. de rer. diuis. l. naturalem 5. S. vlt. l. Transfugam 51. §. 1. ff. de adquir. rer. dom. l. Si quid in bello 28. iunct. l. Si captiuus 20. §. 1. & l. seq. ff. de cap. & postlim. reuers. l. cum loca, 36. ff. de relig.*

L.

Hostes sunt, quib. publicè populus Romanus, aut qui populo Romano bellum decreuerunt. (a) Vnde hostile (b) bellū est, quod Imp. h Roma-

Romanus peregrinæ alicui genti, vel quod peregrina gens populo Romano indixit. (c)

(a) l. Hostes 24. ff. de capt. & postlim. reuers. l. hostes hi sunt 113. ff. de verb. sig. (b) Aliud est ciuale bellum, ut conuincitur ex l. vn. in prin. C. de caduc. toll. quod tamen propriè bellum non est, sed ciuilis quædam inter quosdam de populo eiusdem imperij dissensio, l. si quis ingenuum 21. §. vlt. ff. de capt. & postlim. reuers. In hoc ciuali bello prædationis ius cessat, ut ostendit Præses in Tractat. de iure pugnæ, lib. 1. cap. 29. vers. Quod si quid captum. (c) per d.l. hostes hi sunt 118. ff. de verb. sig. & l. hostes 24. ff. de capt. & postlim. reuers.

L I .

Estque iustum bellum hostile, si ex iusta fuerit initum causa, & quidem ritè indictum.

Quæ sint iusta & mouendi belli cause, exposuit Præses dict. lib. 1. de iure belli, cap. 5. & cap. 17. Quis item sit ritus & mos indicendi belli ostendit Præses eodem lib. 1. de iure belli, cap. 6.

L I I .

Eiusmodi si fuerit bellum, quicquid milites ex hostibus, aut deuictis hostibus capiunt, id præda appellatur, (a) vnde hæc adquisitio prædatio bellica. Dicitur quoque spolium. (b)

(a) d.l. Si quid in bello 28. iunct. l. si captiuus 20. §. 1. de captiu. & postlim. reuers. d. l. cum loca 36. ff. de relig. (b) l. pen. §. Simili etiam, C. de donat.

L I I I .

Et est præda non tantum si res sit inanimata, sed & si persona fuerit, licet libera. (a) Item siue mobilis, (b) siue immobilis (c) sit res. Et siue durante adhuc bello hosti auferatur, (d) siue deuictis hostibus. (e)

(a) d. l. Si quis ingenuum 21. vers. Quod si publicè præda: ff. de capt. & postlim. reuers. (b) per l. pen. ff. ad leg. Iul. pecul. (c) d. l. si captiuus 20. §. 1. ff. de captiu. & postlim. reuers. Can. Dicat aliquis 23. quest. 5. (d) l. si quis 21. vers. Quod si publicè ff. de cap. & postlim. reuers. ts. per d.l. si captiuus 20. §. 1. ff. d.t.

Et du-

LIV.

Et durante adhuc bello non tantum res mobilis capi ex hosti-
bus potest, sed & immobilis.

*l. in agris 16. ibi, agrum, qui hostibus deuictis, iunctis verb. seqq. Agrum.
autem manu captum. ff. de adquir. rer. dom.*

LV.

Quicquid autem durante adhuc bello capitur ex hostibus, iure
gentium capientium fit, (a) non tantum si res priuata sit, sed et si
sacra aut religiosa, vel publica fuerit. (b)

*a) d. l. naturalem. 5. in fin. ff. de adquir. rer. dom. §. item ea, que ex
hostibus, Instit. de rer. diuis. (b) l. cum loca. 36. ff. de religiosis.*

LVI.

Hoc amplius etiam liberi homines captiuitate in seruitutem
capientium rediguntur, (a) etiam iure diuino. (b)

*a) d. l. cum loca. 36. ff. d. t. l. adeò quidem. 7. in prin. ff. de adquir.
rer. dom. §. pen. Instit. de iure person. & d. §. item ea, Instit. de rer. diuis.
(b) Exodi. 21. Leuit. 25. Deut. 15. & 21. Paul. ad Ephes. cap. 6.*

LVII.

Quod autem ex hostibus nondum deuictis capitur, id statim
fit singulorum occupantium militum, (a) non publicum. Nisi ager
fuerit, qui in ius & potestatem ducis venit, & vel militibus pro
emerito assignatur, vel venditur, aut publico relinquitur. (b)

*a) d. l. naturalem, 5. §. vlt. ff. de adquir. rer. dom. (b) l. transfu-
gam. 51. ff. de adquir. vel amitt. poss. (c) d. l. in agris. 16. ff. de adquir. rer.
dom. l. si captiuus. 20. §. 1. ff. de captiuus & postlim. reuers.*

LVIII.

Cæterum quod capitur hostibus deuictis, id omne, siue mobi-
le, siue immobile fuerit, in ius, & potestatem Imperatoris belli, ven-
dit, (a) qui mobilia inter milites secundum merita ipsorum diui-
dit. (b)

*a) Can. dicat aliquis 23. quæst. 5. Hug. Donel. lib. 4. Comment. cap. 21.
(b) d. can. dicat aliquis, 23. quæst. 5. l. si quis pro redemptione. 36. §. simili
etiam modo, C. de donat. Deut. 20. vers. Omnem prædam exercitus di-
uides, & Ios. 8. vers. iumenta autem & prædam ciuitatis diuiserunt sibi
b. 2. l. j. Israel.*

Ny Israel, Bart. ad l si quid in bello, num. 3. ff. de capt. & postlim. reuers.
Ang. ad §. item ea, num. 1. Instit. de rer. diuis.

LIX.

Prædia verò siue agri aut venduntur, (a) aut militibus pro
emerito assignantur. (b)

(a) *I. in agris. 16. ff. de adquir. rer. dom.* (b) *I. Lucius. 11. ff. de eui-
ctionib. Cuiac. lib. 19. obser. cap. 7.*

LX.

Quæritur de rebus, quæ priùs quidem ciuium Romanorum
fuerunt, sed ab hostibus aliquando captæ in potestatem eorum vene-
runt, si recuperentur, vtrum capientium vel Imperatoris belli fiant,
an verò prioribus dominis restitui debeant? Nos distinguendum iu-
dicamus inter res mobiles, & res soli. Illæ in præda sunt, & non red-
duntur dominis suis, (a) nisi fuerint serui, qui recepti ex hostibus
iure postliminij ad suos dominos reuertuntur. (b) Hæ verò, vt agri,
cateraque prædia, in præda non sunt, sed postliminio ad priores do-
minos redeunt.

(a) *I. si quid bello. 28. in prin. vbi gl. ff. de captiuis, & postlim. reuers.*
*gl. add. I. si captiuus. 20. in verb. ager. ff. d. t. & ad l. diuus. 31. in verb. ca-
 ptiuorum. ff. de iure fisci. Cuiac. lib. 19. obseruat. cap. 7.* (b) *I. Postlimi-
 nium. 19. §. si verò seruus. ff. de captiu. & postl. reuers.* (c) *d. l. si capti-
 uus. 20. §. 1. ff. d. t.*

F I N I S D I S P U T A T I O N I S
T E R T I A E.

Ka 3071
(3/4)

ULB Halle
003 261 573

3



sb

Bürobind. 3/1.



Farbkarte #13

B.I.G.	Black	White	3/Color	Magenta	Red	Yellow	Cyan	Green	Blue
8									
7									
6									
5									
4									
3									
2									
1									
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86

Disputatio III.

MINIO PROPRIETATIS, ET EIVS AC-
tum in specie de occupatione, ac prædatione
elica, & quidem de venatione, aucupio, pi-
scatione, & inuentione.

Q V A M

Auspice Christo.

P R A E S I D E,

NS VLTISSIMO
D, D. HENRICO BO-

V. I. D. ET IN ALMA TY-
gium Academia Antecessore clarissimo, Prece-
ptore suo honorando:

NARII EXERCITII CAVSA,
hora & loco consuetis, tueri cona-
bitur

CASPARVS HEVCHELIN,
Lauinganus.



T V B I N G AE
Excudebat Georgius Gruppenbachius.

M. D. X C I X.

f